

# PROLEGOMENAI

36

detergēndæ, seriendaque anathemata, quæ sub pietatis nocet velamine, quām alterius, cuius venenum, vel spurcita in aperto est. Quantumunque demum fraudulentus error fuerit, latâ contra eum damnationis sententiâ, nullum deinceps facile decipit, corruptum, ac pertrahit in exitium, nisi volentem. Damnata enim hæresi, qui in posterum fugiendi sint, novimus; quos nempe obstinatos Ecclesiæ definitionibus viderimus refragari. Contra hos ab Ecclesiæ monemur verbis S. Leonis Pontificis serm. 4. in Epiphaniam: *Nihil cum hujusmodi hominibus commune sit cuiquam Christiano: nulla cum talibus habeatur societas...* Neminem fallant discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuumque palloribus. Non sunt casta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentia; sed de arte fallacie: hæc tenus nocuerint incautis, hæc tenus illuferint imperitis: post hæc nullus excusabilis erit lapsus.

Denique pronuntiandi sententiam, circa Quesnellianas Observationes, & collectos ex eis articulos singularis imposita fuit Sedis Apostolicæ necessitas, ob gravissima Episcoporum inter se dissidia, invicem erroris, hæretique accusantium; quæ, cùm aliis auctoritate Serenissimi Delphini, atque ipsius Christianissimi Regis, tentatis frustrâ remediis, terminari non posse omnes perspicerent, ad Pontificem à Rege, ab Episcopis recursum, ut suâ auctoritate motus compesceret, atque supremo judicio definitire veritatem, errores proscripteret. Potuitne Christi Vicarius in tanto florentissimi Regni discrimine, in tanta Religionis, atque Ecclesiæ necessitate, tot Episcoporum, & tanti Regis vota precepsque contemnere, denegando postulatam tanto ambitu, tot rationibus necessariam sanctionem?

Mitius quidem remedium sopiaendis dissensionibus, ac sistendo hæreseos progressui CLEMENS XI. excogitaverat, damnationem folius libri, iis additis censuris, quæ fallacissimæ doctrinæ destruerent auctoritatem. Hæc Sedis Apostolicæ providentia sufficere quidem omnibus debuerat Romanae Ecclesiæ obedientibus filiis, ut librum abjecerent, & quidquid ex eo fortè didicerant Ecclesiæ dogmatibus non consonum, protinus abdarent. Verum ex ipso remedio, unde corrigi debuissent novitatum studioſi, redditi sunt ferociores; & primum auctoritate Regis Christianissimi Sedem Apostolicam adigi quodammodo volvere, ut Propositiones, quas censuris adeò gravibus perstringendas censuit, distinctè exhiberet. Persuaserat nempe sibi, alisque persuadere conati fuerant, nihil ex quatuor Observationum voluminibus

proferri posse, cui tam horrida censurarum congeries conveniret. Ipse Eminentissimus Noaillius optaverat ostendi sibi à CLEMENTE XI. Propositiones censurâ dignas, ut posset ex tanti Pontificis institutione proficere. Quin serium esset tanti Antistitis desiderium dubitare Sanctissimus non poterat, ideoque tantorum virorum votis dari oportuit novum Observationum Moralium examen, & Propositionum ex iis excerptarum trutinam priore magis operosam. Hinc profluxit tot Propositionum distincta exhibitio, & solemnior censura, cujus necessitatem Pontifici maximo quodammodo inevitabilem impositam quivis sapiens facile percipit. Ita si debita olim Urbani VIII. contra Jansenium Bullæ praestita fuisset obedientia, cùm librum noxiū manibus Fidelium eripi prudens Pontifex voluit, distincta quinque hæresum ex eo desumptarum expressio, atque condemnatio videlicet potuisse non necessaria; verum ex benignitate Sedis Apostolicæ crescents refractiorum audacia, ad remedia tandem compulit ipsis quidem minimè honorifica; sed magis necessaria Ecclesiæ quām ut omitti possent, aut suspendi diutius. Priorem CLEMENTIS XI. contra pestilens Observationum Moralium opus sententiam hic integrum Lector accipiat, ex cuius contemptu, & impugnatione publica, instigante Novatorum petulantia intolerabili, accendentibus, ut dixi, Regis Christianissimi precibus, Gallicanorum Antistitum, etiam Parisiensis Archiepiscopi votis, occasio & necessitas Constitutionis UNIGENITUS orta est. Prior autem sententia tenoris erat sequentis.

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**U**niversi Dominici gregis cura humilitati nostræ cœlitus demandata Nos urget, ut Sacrarum Scripturarum, quibus potissimum Ecclesia Catholica pascat, & nutritur, puritati, & integritati custodienda sedulè advigilemus, ac Christifidelium animas pretioso ejus sanguine redemptas, pravis, atque fallacibus docentium, quæ non oportet, institutionibus decipi, aut à via veritatis abduci minimè patiamur; Salutibus enim Veterum Patrum documentis instruimur, perversa petulantium ingeniorum interpretatione de Euangelio Christi fieri Euangeliū hominis, & in populi Dei seductionem, & exitium cedere, si presentim pietatis obtentu offendicula parentur incautis, & Catholicæ veritati, velut zizania in medio tritici, mala semina miscantur erroris. Cum itaque, securi accepimus, in lucem predicerit liber quidam Gallico-